



muscul.

10.



26. 34.



ORATIO
DE
VLTRICO
SITZINGERO,

I. V. D. Cancellario inclyti
principis Wolfgangi, Pa-
latini Rheni, Ducis
Bauariae, &c.

scripta
à

DAVIDE CHYTRÆO.



ROSTOCHII


Stephanus Myliander excudebat.

Anno 1577.



οὐ νέμεσις κλείειν ἀρετῆς συμφράδμονος ἀνδρός,
τοῖ φρένοισι ἐν κραδίη, πειθῶ δ' ὑπὸ χείλεσι νοίει.
καὶ γὰρ ἀνὴρ τοῖοσδ' εὖ δρωῖη λαὸν ἅπαντα,
καὶ πλέον ἢ βασιλεὺς: τῷ γὰρ νόσ, κῆνος ὑπάραχθι
οἷος ἔην σιγγιάδης ἐλπίεσθ, ἀρίστω
δυοδίω ἀρχόντι παλατίνω ποτὶ ῥῆνον
Βυλευτῆς ἀγαθός, τῷ κ' ἔδεται ἄλλος ὀρίζοι.
καὶ γὰρ λητοῖδης ἰὺ πειρίδες τριπόθητοι
κῆρον ἔτ' ἔξ ἀρχῆς ἐδίδιαξαν, καὶ θέμει ἰρή,
θεασεσίην βασιλῆι κρατίστω μῆτηρ ὑφαίνει
χ' ἔτω τιμοθέοιο βίος δρόμον ἠνυσε πάντα,
ἀνδράσιμ ὑσεβέεσσι λιμήν, ἔπιτ' ἀρξέσθ' ἀγνώσ
πάντοτε πιδρίδεσι, δικαίῃ δ' ἰδροφάντης.
τῶνεκα χ' οἱ κλέος ἐδλόμ γ' ἀνδράσιμ ἔπετο ζῶν
κ' ἔποτε τεθνηῶτι μετ' ὀψιγόνοισιμ ὀλέθ. (12)

Ἰωάννης Κασήλιος.



Faint, illegible text or bleed-through from the reverse side of the page.

ORATIO

DE

VLRICO

SITZINGERO,

I. V. D. Cancellario inclyti

principis Wolfgangi, Pa-

latini Rheni, Ducis

Bavariae, &c.



Ximum & singulare DEI
donum, & Reipublicæ presi-
dium ac decus excellens, et
multis populis salutare est Can-
cellarius Deum timens, &
veram religionem, iusticiam, & mores pa-
triæ honestos intelligens & amans: qui in
specula gubernationis Reipub. collocatus, con-
silia publica, & priuata, iuxta normam iu-
ris diuini & humani, quod æternæ & immo-
tæ Dei sapientiæ, & iusticiæ radius est; con-
stanter gubernat: & mentes principum, à
quibus consulitur, ad amorem & defensio-

A 2:

nem

nem ecclesiæ, legum, iusticiæ, discipline & pacis flectit: & Deum inspectorem, iudicem & vindicem in omnibus consilijs & actionibus intuetur, & à Deo salutaria consilia petit, & legum normam in iudicando & dicendo sequitur, & veras ac iustas sententias firmo robore animi tuetur. Talium consiliariorum senatus, verè COR principis, à sapientissimo Saxonie duce Friderico nominatus est. Nam plerumque tales sunt, vel certè ab exteris & subditis haberi solent principes, quales illi sunt, quorum consilijs vtuntur. sicut Constantino magno sciscitanti, cur Alexander Seuerus imperator, adolescens, Syrus, ab Italico & Romano sanguine alienus, tantis prædicaretur laudibus? cùm tot antè illum Romani Principes, Tiberij, Claudij, Domiciani, Commodi & similes consentientibus omnium calculis & vocibus vituperarentur? responsum esse aiunt: gubernationem Alexandri laudatam & felicem; Cancellarij Vlpiani, quem familiarissimum & carissimum princeps habuisset: & collegarum illius iurisconsultorum Pauli, Sabini, Pomponij, Callistrati, Mode-

Modestini sapientiæ, virtuti, doctrinæ & moderationi esse adscribendam.

Etsi autem, ut omnia præclara rara sunt, ita pauci sunt boni & constantes Theologi, Ieremiæ aut Baptistæ similes: & pauci principum Consiliarij, iustitia & integritate Papiniano, Cassio Longino aut Vlpiano conferendi: multorum enim Iurisprudencia vniuersa, vno hoc Marcialis versu, Nempe cocus Domini debet habere gulam: & vnica hac iuris Regula: Quidquid principi placet, & mihi lucrum adfert, hoc sanctum est apud Deum, & iustum apud homines, continetur: tamen, cum aliquos omnibus ætatibus à Deo Principes & consiliarios virtute præstantes, ut societas hominum civilis conseruetur, excitari & dari necesse sit: inter hos paucos bonos & generi humano salutare recenseri & laudari honorificum & præclarum est. ac vult Deus, etiam propter se autorem, hæc dona gubernatorum sapientiæ & virtute excellentium, & de Repub. benè meritorum agnosci, & laudibus debitis prædicari, ut Dei præsentia, bonitas, & sapientiæ, cuius radij sunt doctrina & virtutes eximie,

in Heroicos viros transfuse, agnoscat^r &
celebretur.

Cum autem non Principibus solum viris,
verum alijs etiam sapientibus & doctis in to-
ta Germania omnibus, exploratè perspecta
fuerit & nota virtus, eruditio & merita
in ecclesiam & Rempublicam amplissima,
nobilis & prestantissimi viri, VL R I C I
S I T Z I N G E R I, quem Illustrissimus
princeps V V o l f g a n g u s comes Palatinus Rhe-
ni, Dux Bauariæ &c. præcipuum bonorum
consiliorum ducem & autorem multos annos
habuit: cumq; tota D. Sitzingeri vita, bo-
ni & Ecclesiæ ac Reipub. salutaris Cancellarij
expressa imago & exemplum illustrè fue-
rit: testimonium presentie Dei in guberna-
tione politica, & Sitzingero ipso, tot illustri-
bus Dei donis ornato, reuerenter agnosco; &
gratias ago Deo, quod talem Cancellarium,
commune multis gentibus bonum, & verè
regium ac vtilissimum thesaurum, Reipubli-
cæ nostri temporis tribuit. ac filium Dei, qui
est magui consilij angelus, & orator ac inter-
pres Dei patris æterni, toto pectore precor,
vt nostris etiam aulis, timentes Deum, iu-
stos &

stos & sapientes Cancellarios tribuat, eosque
seruet. & nunc dicentis mentem ac linguam
gubernet. Vt enim postremum hoc officium,
amicicia cum Sitzingero nostra, totos
triginta annos sine vlla offensione cultæ, de-
bitum præstem: & memoriam virtutum ac
benemeritorum optimi & præstantissimi vi-
ri paulò diuturniorem conseruem: & ad illu-
stris huius & laudati exempli consideratio-
nem & imitationem, aliquorum mentes do-
ctrinæ ac virtutis studiosas inuitem: conabor
qualicumq; oratione (splendidè enim de tan-
tis virtutibus dicere ingenij imbecillitas non
sinit) dona Dei, quæ in hoc salutare organon
larga manu Deus contulit, nudè & breuiter
commemorare.

Fulsit enim in Vlrico Sitzingero diui-
nitus donata ingenij excellentis perspicacia
& iudicij relictudo uerè & σοφία singularis,
quod doctrina iuris diuini ac humani, omni-
umque artium, quas Philosophia ambitu suo
complectitur, & linguarum eruditaram,
omnisq; antiquitatis ecclesiasticæ & impe-
riorum, cognitione instruxerat & conforma-
rat. Hinc eloquentiæ grauis & profluentis

eximia facultas emanabat. & prudentia ac
circumspectio erat, non libris solummodo &
rerum usu exculti perpolitique iudicij matu-
ritate, sed à Deo ipso fonte sapientie, & con-
silia ac successus salutare largiente, guber-
nata. Quem prælucente vera agnitione &
fiducia filij Dei, qui est sapientia $\iota\gamma\lambda\omicron\gamma$ &
æterni patris, assidue inuocabat, & quotidia-
na lectione sacrorum librorum, fidem, inuo-
cationem & cæteras virtutes Deo placentes
accendere, alere & confirmare solebat. Lu-
xit itaque in tota ipsius vita, & consilijs,
actionibusque omnibus, pietas & Fides erga
Deum & homines sincera $\iota\gamma\alpha\upsilon\upsilon\pi\omicron\kappa\epsilon\iota$ &
et natiua bonitas, ac sine fuco ingenua huma-
nitas, pari grauitate & suauitate tempera-
ta: in tractandis negotijs dexteritas, vigilan-
tia & assiduitas: in oratione & vita omni
amor veritatis, iustitia, candor, magnitudo
animi orta ex fiducia presentie Dei, & in
Deo secure acquiescens: constantia in veris
sententijs, moderatio iræ, mansuetudo, paci-
entia in perferendis iniurijs & publicæ tran-
quillitati & saluti condonandis, & cæteræ
virtutes, quæ testimonia presentie Dei, &
virtu-

virtutum diuinarum illustres radij sunt; quæ
auctoritatem Sitzingero passim apud principes
& priuatos eximiam & singularem circum-
dabant & tuebantur. Ipse quidem, in to-
ta muneris sui administratione & militiæ
aulicæ cursu, tres fines sibi potissimum pro-
positos esse aiebat, ad quos omnia guberna-
tionis consilia & actiones præcipuè dirigeret,
vt vera Christi Religio, vt Iustitia & pax
publica, vt Doctrinarum studia, in cæteribus
hominum & populis, Principi suo diuinitus
commisissis, excitarentur, florent, & ad
posteros, certo & durabili Ecclesiarum, iudi-
ciorum & scholarum ordine constituto, pro-
pagarentur. Quæ præcipua & summa in
genere humano bona, singulari Dei & illu-
strissimi Principis V Volfgangi benignitate,
& D. Sitzingeri potissimum consilio, dili-
gentia & fide, populis & regionibus illis, quæ
ad Danubium & Rhenum Duci V Volfgan-
go parebant, munificè & prolixè communi-
cata, adhuc Dei beneficio vigere & feliciter
ad posteritatem transmitti videmus.

Vt autem præcisa hæc & nuda delineat-
io laudum, & virtutes amplissimæ, quas in

Sitzingero nostro fulgentes paucis verbis notaui, illustrius conspici queant & considerari: breuem totius vitæ, studiorum, consiliorum, & erga Rempublicam meritorum ipsius historiam adiungam.

Vetusta, & clara domicilio Caroli magni, & Ludouici Pij ac multorum Franciæ Regum veterum & Cæsarum Germanicorum comitijs, Vangionum vrbs est V Vormatia, nostris etiam temporibus florens, non amplitudine solùm & splendore ædificiorum, & honestis legibus, disciplina, iudicijs, moribus bonis, verùm etiam benè constituta Ecclesia & schola, ubi cum bonis literis iuuentuti uera de Christo doctrina & religio pura fideliter traditur. In ea vrbe (quam Berbetomagum Ptolemæi esse eruditi existimant) natus est D. Vlricus Sitzingerus anno Christi 1525. 3. Idus Aprilis, ex parentibus honestissimis & patricij ac senatorij ordinis Vlrico Sitzingero & Anna Rottartina. Qui, cum in filio, ante pueritiæ annos, indolem ad virtutem & literas præclaram, & vim ingenij auidè & celeriter percipientem omnia quæ proponerentur, ac velut ἑκβοριασµὸν ad literarum

rarum amorem concitatam, attendissent: mirificam ex filij ingenio voluptatem capientes, sapientiæ & doctrinæ studijs eum consecrarunt, & assiduis ardentibusq; votis à Deo doceri eum & seruari ac regi orarunt.

Cùm igitur prima litterarum & pietatis Christianæ elementa, & linguæ latinæ & græcæ initia in schola patriæ puer didicisset: de amicorum consilio Noribergam missus & Iohanni Ketzmanno, quem singulari dexterritate, fide & felicitate studia iuuentutis formare acceperant, in disciplinam traditus est. Vbi Grammatices studium celeriter absoluit & cæteras dicendi artes adiunxit, & latinè & græcè scribendo solutam orationem & carmen assiduè cum equalibus feliciter certauit. Cumq; continuos sex annos, in discendis Philosophiæ, non logicæ solùm, sed Arithmeticæ etiam ac Musicæ et reliquorum mathematicum initijs, & utilissimis stili, memoria & pronunciationis exercitijs Noribergæ vixisset: Deo ipsius studia gubernante VVitebergam, quæ, vt Athenæ olim ἐλλάδος παύδευοις dicebantur, totius Germaniæ optima & florentissima, veræ de Deo doctrinæ, legum

legum ciuiliū & vniuersæ Philosophiæ scho-
la erat: anno 1544. profectus est, vbi bien-
nium adhuc Martinum Lutherum pro con-
cione & in schola docentem audiuit. Philip-
pus autem Melanthon & propter patriæ vi-
ciniam, & ingenij bonitatem, modestiam &
grauitatem singularem, & Viti Theodori
commendationem, statim eum in familiari-
tatem interiorē & mensam suam recepit.

Cumq; ad huius communis præceptoris do-
mesticam consuetudinem paulò post, mihi quò
que, Iohannis Brentij & Georgij fratris Phi-
lippi literis, aditus esset patefactus: ac vterq;
nostrum non modò publicas diuini illius Do-
ctoris prælectiones, cum multis alijs sedulò fre-
quentaret: verùm etiam familiares sermo-
nes de studijs, de Republica, & de alijs maxi-
mis rebus iudicia, in museo et mensa commu-
ni audiret: mutua beneuolentia & amicitia
inter nos, honestissimis inirijs, ex domestico
apud præceptorem conuictu, & studiorum
societate, ac voluntatum similitudine con-
ciliata, & totos triginta annos deinceps con-
stans & sincera, nec vlla temporum varie-
tate immutata permansit.

In ea

In ea continui ferè sexennij familiaritate, studia, mores & exercitationes Sitzingeri, quibus ad fastigium illud sapientiæ & virtutis, in viro Politico seu verè Iurisconsulto necessaria, præparatus & excultus est, penitus perspexi.

Ingenium erat omnium doctrinarum capax & avidum, & ad gravitatem ac moderationem, & veritatis ac iustitiæ amorem & cultum à natura ipsa ferebatur. sicut Plato, ἀνδρα πολιτικὸν ἢ φύλακα πόλεως instituens, hoc velut fundamentum reliquæ παιδείας primùm requirit: φύσει εἶη δυναμῆς, μνήμων, ἄρχαυς, μεγαλοπρεπῆς, τίλ-
λῃ τε καὶ ξυγγυῆς ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρείας, καὶ σωφροσύνης. Latini ac Græci sermonis facultatem eam sibi parauerat, ut soluta & ligata oratione, animi sensa & cogitationes, perspicuè & disertè, in utraq; lingua alijs explicare posset. Hanc alabat quotidianis auscultationibus, & priuata lectione Ciceronis, ac Græcorum præcipuè autorum. nam Philippum interpretantem Thucydidem ac Pindarum: & Sophoclis ac Euripidis Tragœdias plerasque publicè simul
ut

vt συμφορῆσιν αὐδίουμῖ; Herodotum ve-
rò, Xenophontem & Plutarchi vitas & mo-
ralia priuatim vnà perlegimus. Dialecti-
cen rectè iudicandi, & artificiosè disserendi
magistram, non solùm didicerat integram,
verùm etiam magnæ auditorum frequentiæ
in Academia post bellum instaurata dexter-
rimè tradidit. & disputationum, ac oratio-
num scribendarum exercitia adiunxit, in
quibus præceptorum applicationem & vsum
fidelissimè monstrabat.

Historiam Ecclesiæ & veterum monar-
chiarum ac Germanici præcipuè Imperij &
vicinorum regnorum res gestas, vespertinis
potissimùm horis legebat, non recreandi solùm
& reficiendi animi causa, verùm etiam,
quòd doctrinæ Iuris, cognitio antiquitatis
multum lucis adfert, & sæpè in Republica
consilium monstrat, & priuatim in animis
amorem virtutis accendit & confirmat.

Nec his contenta mens generosa & celo
nata; cùm arithmeticen & initia doctrinæ de
circulis cœlestibus secum in Academiam at-
tulisset: vltèrius etiam in eruditore illa &
dulcissima parte Philosophiæ progressa, doctri-
nam

nam de cœli & stellarum in tanta varietate
constantibus & certissimis motuum legibus
& effectiōibus, penè vt artifex didicit. nam
& motus luminarium ac eclipses ex tabulis
supputabat, & Calendaria annua, quod alio-
quin habenti ephemerides facillimum est, ipse
componere poterat. Me quoque, cùm V Vi-
tebergam veni, Geneses seu Themata cœle-
stia erigere primus docuit. nam & astrologi-
cis illis lusibus, exemplo & hortatu præcepto-
ris Philippi delectabatur, qui se intra metas
Physicas in τέραιβλω Ptolemæi verecundè
præscriptas continebat. cùm alioquin, ἀρίστον
μάουλυ ἐν τῷ βουλίῳ, lege Dei guberna-
tam, iudicaret: ac sæpe somnia sua diuina-
tionibus astrologicis præferret, & solis præ-
dictionibus in cœlesti doctrina traditis, de
maximis ecclesiæ & imperiorum mutationi-
bus, ac inprimis de pietatis & rectè factorum
præmijs, & scelerum ac impiorum poenis in
hac vita & omni eternitate, certò secuturis;
cetam fidem tribuendam esse; & has non a-
lende curiositatis causa, verùm vt poenarum
& præmiorum cogitatio ad virtutum & pie-
tatis studium ardentius accendat, consideran-
das esse affirmaret.

Præci-

Præcipuè autem Ethicè & Politicè
Sitzingerus noster studiosè didicit, non eò so-
lum, vt ad iuris doctrinam, cuius principia
& fontes ac demonstrationes ex lege naturæ
seu Notitia discernente recta & praua diui-
nitus naturæ nostræ insita, in ethicis deductæ
sunt, se præpararet: sed multò magis vt in
regendis moribus se ad philosophicam mode-
rationem adsuefaceret, & ornatam illam ac
suauem speciem virtutis, dignam homine do-
cto & virtutem intelligente, efficeret; de qua
dictum est: ὅς ἂν δὲ σωέσθαι ἄριστος κέλεται,
ἄνθρωπος. Quare non Philippi solùm epitomen,
quæ tamen fontes & nucleum iuris prudentiæ
continet, & de plurimis Iuris materijs, qua-
rum in ciuili vita & foro præcipuus vsus est,
iudicia discentium sapienter format: sed A-
ristotelis etiam Ethica & politica, & Cicero-
nis de LL. libros euoluit, qui originem Iuris
vniuersi, ex natura mentis humanæ ad Ima-
ginem Dei conditæ, & distinctione iustorum
ac iniustorum illustratæ, eruditissimè detexit:
cuius exemplum Franciscus Connanus, no-
stra ætate, in aurei illius sui Digestorum ope-
ris exordio feliciter imitatus est. Platonis
etiam

etiam leges & πολιτείας libros, tametsi hos
magna ex parte Ironijs refertos esse videbat,
sedulo perlustravit. Ita præclare iactis &
stabilitis doctrinarum fundamentis, & omni-
bus ijs artibus, quas Philosophia ambitu suo
complectitur, & quæ ad excolenda & acuen-
da ingenia, & iudicij rectitudinem confir-
mandam necessariæ sunt, rectè præparatus
& excultus: Iurisprudentiæ studio se totum
dedere Sitzingerus anno Christi 1548, con-
tracto matrimonio, de quo postea dicam, in-
coepit. ac relectis antea aliquoties & menti
memoriæque penitus infixis Institutionum li-
bris, qui principia & summam doctrinæ iu-
ris artificiosissimè & perspicua methodo com-
prehensam explicant; fores iurisprudentiæ
ingressus; & antecessores Iuris tardius proce-
dentes in schola audiens: rectè sibi ad ipsa pe-
netralia doctrinæ contendendum esse iudica-
uit. Quare **PANDECTAS** Legum,
quæ vniuersam æqui & boni scientiam, &
integrum Iuris Ciuilis corpus (ordine tamen
ad rationem Iudiciorum & fori & actionum
seriem magis quàm ad Isagogicam rerum na-
tura cognatarum explicationem in institutio-
nibus

B

nibus

nibus seruata, directo) continent: adiunctis
Ioachimi Hopperij commentarijs breuissimis,
methodum & seriem operis admirando &
pulcherrimo ordine contextam & titulorum
summas ostendentibus, & in Codice præcipue
Sūma Azonis adhibita: diligenter & attentè
priuatim perlegendas suscepit. & in singulis
titulis, Legum acervos, in methodi Dialec-
ticæ locos, Definitiones, Diuisiones, causas, ef-
fectus, & actiones inde orientes, digessit. De-
inde ex codicis etiam libris XII. in quibus
ad eosdem titulos, Principum Romanorum
constitutiones relatæ sunt, & Iustiniani No-
uellis, ac ex iure Canonico quoque, præcipua
legum capita, ad eos methodi locos, sub titulis
Digestorum conuenientibus, reposuit. Non
enim paucas materias tantum de successioni-
bus ex testamento vel ab intestato, de contra-
ctibus, & Actionum formulas in praxi &
quæstu forensi maxime vsitatas, quas solas fe-
rè vulgus rabularum in foro causas agentium
attingit: sed integram & perfectam præce-
ptorum Iuris Ciuilis doctrinam, seu æqui &
boni artem σοφίατοποιεῖν & solidam comple-
cti animo studebat. Quæ mediocriter per-
cepta

cepta & exemplis præstantium ac vsuperito-
rum artificum, in iudicijs & legum applica-
tionibus obseruatis, & exercitatione ac vsu,
qui artium magister est, accedente: singula-
ria etiam negotia, quæ in deliberationibus de
republica & priuata hominum vita quotidie
incidunt, iudicare rectius posset. Qua in
parte studij Iuris, in lucem atq; aciem iudici-
orum & litium forensium producendi, Guil-
elmum Durandum Mimatensem episcopum,
quem speculatorem vulgò nominant, singula-
ri præsidio & vsui esse monebatur.

Verùm Sitzingerus honestiore & celsio-
re animo præditus, etsi priuatorum etiam li-
tes in iudicijs interdum disputabat: tamen
cùm illiberaliorem illam vulgariam causidi-
corum artem, ad fucandas sophisticò præ-
textu iniustas malorum cupiditates, & ex-
trahendas lites, ac emulgendos pecunia clien-
tes, tantummodo directam (de qua non im-
meritò Bernardus apud Eugenium Pontifi-
cem tanta grauitate conqueritur) à naturæ
& voluntatis suæ instituto alienam duceret:
& multò laudabilius in docendo & inter-
pretando iure, in constituendis vel guber-
nandis

nandis iudicijs, in dandis & regendis consilijs
maximarum deliberationum in Ecclesia &
Republica, Iurisconsulti eximij doctrinam,
fidem & industriam lucere & conspici sciret:
ad hunc sublimiorem vsum, Reipublicæ fru-
ctuosiorem & veræ dignitatis plenior, stu-
dia & exercitationes Iuris suas referabat.
Itaque & institutiones Iuris in Academia
erudite, magna cum auditorum vtilitate &
applausu, priuatim enarrauit: & ad hæc ma-
ximarum rerum consilia gubernanda, se, ve-
ra Dei inuocatione, & diligentia in Iuris di-
uini ac humani doctrina rectè & solide co-
gnoscenda, & amore veritatis, iustitiæ & cæ-
terarum virtutum ornamentis præparauit.
Nec postea, cum ad Rempublicam accessit,
lectionem & studia intermisit. Diuini eti-
am iuris seu veræ Religionis doctrinam non
fastidiuit, sed hanc primam & præcipuam
Iurisprudentiæ Christianæ partem esse sta-
tuit. nec temerè sine iudicio quæuis dogmata
& opiniones aulis gratas amplexus est, sed
fontes diuinitus patefactos & veteris Ecclesiæ
iudicia inquisiuit, & aliorum scripta de ec-
clesiasticis controuersis attentè legit, vt de do-
gma-

omatum dissidijs, in qua fato quodam nostro
his temporibus incidimus, non πλίθει μάλλου
ἢ Ἐπισήμῳ iudicaret, & recta ac fundamen-
talia de tantis rebus consilia uiris Principibus
& alijs petentibus, impertiret. Vidi enim
ipse, in aliquot conuentibus, Naoburgi ad Sa-
lam, Augustæ in primis Maximil. comitijs,
& antea etiam V Vormatiæ, circumferri ab
eo librum, in quo de præcipuis dogmatum con-
trouersis inter nostros Ἐπιπολαζῶσους, testi-
monia & confirmationes veræ sententiæ ex
diuersorum autorum ac Lutheri præcipuè
scriptis, locos integros, manu sua collegerat,
vt in promptu argumenta & rationes ido-
neas haberet, quibus se & alios ambigentes
erudiret & roboraret, & diuersum in delibe-
rationibus contendentes refutaret. Sed hæc
postea tempestiuus fortasse exponerentur.
& mihi in commemoratione tyrocinijs & stu-
diorum D. Sitzingeri nimis diu immorato,
ad reliquæ vitæ historiam veniendum est.

Cum enim præstantis ingenij & diligen-
tiæ ac profectus in doctrina Iuris specimen e-
gregium in Academia docendo & in foro
præbuisset, & vitæ ac morum grauitas exi-

nia esset: publico Collegij Iureconsultorum testimonio, gradu Doctorum Iuris ornatus & honestissimo ordini custodum Iustitiae & legum insertus est exeunte Februario anni 1551. cum quatuor alijs honestissimis & clarissimis viris, inter quos Ioannes Schneidewein, antecessor Academiae V Vitebergensis, & Antonius Freudeman Hallensis, maxime celebres fuerunt.

Paucis post gradus renunciationem diebus, cum familia Noribergam & inde V Vormatiam profectus est, ubi cum ad iuandam communem hominum utilitatem, iuris artem transferret, & consilij ac patrocinio suo in vicinorum principum iudicijs bonas causas bene ageret ac tueretur: citò in multorum sapientum gubernatorum ac principum, & Illustrissimi etiam Ducis V Volsgangi Palatini Rheni, Ducis Bauariae &c. noticiam peruenit, à quo clementissimè in consiliariorum aulae senatum cooptatus, eodem anno exeunte Bipontem cum familia commigravit.

Excelebat ingenio, virtute, sapientia & bonitate Heroica, Palatinus V Volsgangus,
& eru-

Et eruditorum ac iustitiæ Et veritatis aman-
tium senatorum, quos exemplo Alexandri
Principis Romani, magno numero alere, Et
in deliberationibus singulorum sententias at-
tentè audire solitus est: familiaritate inpri-
mis delectabatur, Et de ingenijs Et volunta-
tibus hominum sagaciter iudicabat.

Cùm igitur in dicendis sententijs, Vlri-
cum Sitzingerum, rectè ad statum causæ col-
lineare, Et in perplexis ac intricatis negotijs,
subitò ubi momenta Et nervi essent uidere, Et
quod rectissimum esset, dexterrimè eligere, Et
consilia sua illustri Et nervosa breuitate per-
spicue explicare animaduertisset: Et hæc tan-
ta ingenij decora, aliæ virtutes maiores, vera
agnitio Et timor Dei, amor veritatis Et iu-
stitiæ, constantia in veris sententijs candor
Et gravitas morum ac totius vitæ singularis;
quæ testimonia præsentis Dei in ipso erant,
mirificè ornarent: singulari eum beneuolen-
tia et amore Princeps sapientissimus Et opti-
mus complecti cepit. Quem paulò post etiam
Eloquentiæ Sitzingeri latinæ admiratio au-
xit: cùm detrectantibus id orandi munus alijs
senioribus Et diutius in Republica versatis,

Henricum II. Gallia Regem, principibus
Germania, libertatem vera religionis et Im-
perij & principum captiuorum ac in his soceri
Ducis V Volfgangi, liberationem, Carolo V.
Imperatori bello aduersus eum moto extor-
quentibus, foederatum; & occupata Medio-
matricum vrbe, Bipontem cum exercitu ami-
co ingressum; oratione latina splendida & or-
natissima, iussu & nomine principis sui, ex-
cepisset. postea durante bello, & liberato ex
diuturna Caroli Caesaris custodia Philippo
V Volfgangi socero, & institutis cum Nassa-
ense, de controuersia comitatus Cattorum, &
inter alios principes alijs de causis dissiden-
tes, amicis transactionibus: cum Palatinus
V Volfgangus, mandato Caroli, vel pacifica-
toris personam gereret, vel parti alteri consi-
lio adesset: Sitzingeri inprimis opera fideli
& foelici, in negotijs illis, & legationibus pra-
cipue, usus est. Quarum occasione, in mul-
torum principum & regum, Ferdinandi,
Maximiliani, & Caroli V. Imperatoris no-
titiam peruenit. Qui honorificentissime se
de Sitzingeri ingenio & virtute prestanti
sentire, multis illustribus Casarea clementia
& be-

Et benignitatis suae testimonijs declaravit. Quo sapientissimi Et optimi Imperatoris de se iudicio ille magis quam Nobilitatis, Et Comitum Palatini, aliarumque dignitatum, quas sponte ipsi optimus Caesar Carolus contulerat, titulis, se delectari ostendebat.

Ita cum quadriennio fere D. Sitzingeri prudentiam, gravitatem, eloquentiam Et in tractandis negotijs dexteritatem Et industriam singularem Palatinus V Wolfgangus probasset: tandem Cancellarij munus anno 1555. ipsi commendat, quod totos fere viginti annos ita administravit, ut non solum in praetorijs negotijs Et regendis Iudicijs, verum etiam in alijs gravissimis deliberationibus ad totam Rempublicam spectantibus, sapientiam, integritatem, fidem ipsius, Et amorem ac curam publicae salutis, optimus Princeps, Nobilitas Et civitates grati agnoscerent Et laudarent: eumque pariter diligerent. cum quidem iustas Et veras sententias, etiamsi potentibus interdum ingratae essent, constanter propugnaret. Persicos illos Iurisconsultos, qui, cum sententiam eorum rex Cambyses sciscitaretur: An sororem ducere uxorem
B 5. liceret?

liceret? respondent, nullam in Codice suo
legem extare, quæ id expressè concedat, sed
aliam se inuenire legem, quòd Regi, cum sit
supra leges, facere liceat quidquid libet. sicut
multi proh dolor in illo vitæ humanæ fasti-
gio, in principum aulis, quæ arces iustitiæ &
veritatis præcipuæ in terris esse debebant,
partim ambitione & spe dignitatis ac hono-
rum, partim *σωγόφρατοι*. cupiditate lucri ac
opum, Principibus & alijs, quorum fauores
aut pecuniam aucupantur, & Gyneceis as-
sentantes, partim perfidia & scelere aut pa-
ctione mercedis, veritatem & iusticiam con-
tra conscientiam oppugnant & opprimunt.
Multi etiam inscicia peccantes, cum erudi-
tione & virtute locum tueri non possint, ad
alias artes, quibus studia potentum retineant,
adulationes, calumnias, & Sophisticos præ-
textus negotijs, quæ grata esse principibus vi-
dent, affingendos, confugiunt, ex quibus fon-
tibus, non solùm multæ lites, iniuriæ & op-
pressiones priuatorum: verùm etiam discor-
diæ publicæ, bella civilia, & tristissimæ ca-
lamitates principum & subditorum postea
emanant.

Ab his

Ab his illiberalibus artificijs & moribus
sycophantarum quorundam aulicorum, à Si-
donio Appollinare alicubi graphicè depictis,
alienissimus erat Sitzingerus noster, non
umbra doctrinae et garrulitate venalis linguae,
vt vulgus illud rabularum; sed integra & so-
lida iuris publici & priuati cognitione, &
vitæ ac morum sancta grauitate, & vero ti-
more Dei ac fide ita confirmatus, vt in con-
silijs & actionibus officij sui omnibus, $\mu\acute{o}\nu\eta$
 $\delta\acute{\upsilon}\omega\mu\ \tau\eta\ \alpha\lambda\eta\theta\acute{\epsilon}\iota\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \delta\iota\kappa\alpha\iota\omicron\sigma\omega\mu\eta$, vera &
iusta, & ad normam iuris diuini ac humani
congruentia diceret, & nullo fractus metu
aut periculo, nulla spe opum aut honorum
languefactus, constanter tueretur.

Nec verò de pratorijs ipsius negocijs &
iusticia ac sapientia in litibus forensibus diju-
dicandis quidquam recensebo, nisi quod scio
eum, quoties potuit, controuersias, transactio-
nibus, æquitate vtrinq; proposita, diremisisse.
& semper monuisse partes, vt aliquantum de
suo Iure cedere, quàm longo Iudicij processu
sumtus, labores & curas sibi cumulare, &
alia negocia sua necessaria, imò & inuocatio-
nem Dei quotidianam impedire mallent.

Inpri-

Inprimis autem Ecclesias & Doctrina-
rum studia, quæ multi Cyclopes & alij guber-
natores aulici, velut sua maiestate indigna
& nihil ad Rempub. pertinentia, vel superbe
negligunt, vel premere etiam & delere co-
nantur: summa fide & diligentia, in sui
principis ditionibus excitare, fouere, & or-
nare omnibus officijs, studebat. Cum enim
homines in principum ditionibus ac politijs
propter hunc finem præcipuum à Deo miran-
dis legum, coniugiorum, magistratum, iu-
dicatorum, contractuum, generationis & edu-
cationis vinculis consociati & colligati sint,
vt alij alios de Deo & de virtute & alijs re-
bus bonis doceant: & lucere in cætu ac latè
spargi vera noticia Dei, & in publicis con-
gressibus propagari vera de Deo & redempto-
re nostro IESV Christo doctrina, & colligi
Deo ecclesia æterna possit: agnoscebat Si-
tzingerus præcipuum decus & velut nucle-
um ciuiliſ hominum societatis esse veram a-
gnitionem DEI & seruatoris nostri IESV
CHRISTI, & venerationem Dei religio-
sam: & hac neglecta vel extincta, politias
perè similes esse laterne in tenebris gestatæ
in qua

in qua lychnus nullus ardet. Lumen enim
vitæ est doctrina à Deo tradita, quod in poli-
tjjs lucere vult & seruari Deus, & in tanta
mentium humanarum caligine & tenebris
claram veritatis & æternæ salutis lucernam
cunctis ciuibus præbere.

Vt igitur domicilium & templum veri
Dei, & hospitium Ecclesiæ Christi tranquil-
lum & florens ad posteritatem, tota Palati-
ni V Volfgangi ditio esset: suasor fuit princi-
pi, vt summa veræ de Deo doctrinæ populo
proponendæ, & totus administrationis eccle-
siasticæ ordo, in vocandis & instituendis mi-
nistris, in Ecclesiarum inspectione & visi-
tatione, in iudicio ecclesiastico, in Synodis,
Scholis, Hospitalibus, & ritibus sacrorum
in Templo seruandus, scripto comprehende-
retur. quod perpetua uelut Norma esset, quam
in doctrina & tota gubernatione ecclesiarum
reliqua, ministri & inspectores sequerentur.
Id scriptum, adhibitis Theologis & alijs ido-
neis confectum, & Philippi Melanthonis,
Iohannis Brentij, aliorumque Theologorum
iudicijs comprobatur, anno 1557. primùm
excusum, & post aliquot annos, cum morte

Otto-

Ottonis Henrici electoris Palatini, Neoburgensis etiam ad Danubium Ducatus, Palatino V Volfgango cessisset, recognitum: & à filijs non minus paternæ pietatis & virtutis quàm Ducatum heredibus, præfixa Illustrissimi Principis V Volfgangi confessione, Testamento ipsius inserta, denuò editum est. Quod multis Comitibus & ciuitatibus vicinis, & alijs etiam gentibus, quæ religionem sinceriore[m] amplexæ sunt, exemplum & norma fuit, ad quam suas ecclesias constituerunt.

Cumque sciret Cancellarius noster, non satis esse scripto complecti & mandare alijs sapienter deliberatas & salutare[s] constitutiones; nisi executio etiam, & perpetua diligentia res rectè inchoatas tuendi, & sarcinendi accedat: statim in initio autoritate publica inspici ecclesias, & pastores, ordine de singulis doctrinæ Christianæ in libro edito præscriptæ articulis examinari, & dissentientes ab ea norma, vel inscicia aut morum turpitudine pollutos remoueri, & idoneos præfici, & stipendia honesta dari, & populum ad Catechesin & disciplinam adsuescieri: postea

1
Istea etiam quotannis repeti inspectionem
ecclesiarum à Superintendentibus & alijs,
& si quid labefactatum esset, sarciri, vel Se-
natui ecclesiastico corrigendum indicari, cu-
rauit.

Præbet autem diligentia & vigilantia
pij & optimi principis & Senatorum illius,
hac in re, testimonium maximè illustrè, quod
inde ab initio instaurationis Ecclesiarum,
eadem vox doctrinae, sine dissensionibus ul-
lis, ad hunc usque diem, in utroque Ducatu,
ad Danubium & Bipontem sonat. nec us-
quam alibi in tota Germania ecclesiae tran-
quilliores haecenus fuerunt.

Et quia ecclesiae Dei & Reipublicae se-
minaria sunt Scholae, & verae spiritus sancti
officinae, in quibus, ad ministerium docendi
alios in ecclesia Christi, & varia Reipublicae
officia, & omnes vitae partes dexterius gu-
bernandas, ingenia iuventutis preparantur
& excoluntur: autor & hortator fuit Prin-
cipi, non solum ut inferiores scholas, in qui-
bus legendi & scribendi rationem & initia
Grammatices & Catecheseos pueri discerent,
& in

Et in templo canerent: in singulis oppidis & pagis frequentioribus conseruaret: verum etiam duo Gymnasia, alterum in Bipontino Ducatu, Hornbachia; alterum in Neoburgensi, Lauinga; attributis redditibus perpetuis, erigeret, & legibus docendi & discendi certis, & disciplina arctiore quam in Aca- demijs publicis, heu nimium ubique dissolutis, astringeret. His custodiam & interpreta- tionem librorum vere de Deo doctrinae in ecclesijs vtriusque Ducatus hoc tempore so- nantis, & omnium artium & linguarum eruditarum, quae ad recte intelligendam & dextere explicandam alijs doctrinam caelestem & Legum ciuilium, quibus Respublica & uita priuata regitur, necessariae sunt, optimus Princeps commendauit. Lauinganae certe scholae, excellentis & usu periti artificis, Io- hannis Sturmij diligentia & fide singulari, ita descriptae, & curijs ac magistris distinctae, & praceptorum in docendo, ac discipulorum in discendo officijs, & exercitationibus, ordi- natae sunt, ut omnibus suis partibus absoluta Scholae recte constitutae effigies sit, & exem- plar illustre.

Cupie-

Cupiebat autem sapiens & optimus pater patriæ Palatinus V Volfgangus, non subditos solum suos & vicinos, studijs virtutum & literarum, in Scholis à se apertis, meliores & cultiores reddere: verum etiam filios principes, in gubernatione patriæ successuros, ut dignitate & imperio, sic pietate, sapientia, virtute, doctrina, populis subiectis antecellere & prælucere: & ad munus in genere humano summum gubernandi alios, doctrina & virtute ac literarum exercitijs præparatos & eruditos accedere. cum diuina voce præcipi sciret: Erudimini, qui iudicatis terram.

Cum igitur de præceptore idoneo, qui tenera principum ingenia formaret, deliberatio suscepta esset: consilio Sitzingeri, onus illud institutionis principum, difficile & periculosum, sed Reipublicæ in primis necessarium & salutare, Petro Agricola viro eximia morum sanctitate, & suavi gravitate, singulari diligentia, fide, industria, doctrina, & recti iudicij maturitate prædito, impositum est: quo in labore Deus et præceptoris fidem ac officium, & discipulorum mentes ac studia clementer rexit, ut patris expectationi, & præceptoris

C

ceptoris

ceptoris diligentia, tenerorum principum pietas, intelligentia, humanitas, doctrina & memoria responderet: eosque bonos & generi humano salutare principes, Deo studijs illorum benedicente, effectos esse: ac verissimè à Plutarcho dici, τοῦ τ' ἀρχόντος πρᾶξιόντων, καὶ τῶν ἀγαθῶν εἶναι: res ipsa demonstret.

Hæc consilia Sitzingeri publicè nota, & Ecclesiæ ac Reipublicæ salutaria, recensere malo, quàm de arcanis principum negotijs, quibus summa cum fide & integritate præfuit. quæ ego sanè libenter ignorauerim: aut de conuentuum certaminibus disputare. Cùm enim non fucosa pietate DEVM coleret, & præ omnibus humanis rebus doctrinæ cœlestis puritatem & Ecclesiæ concordiam diligeret: nulla ex re maiorem dolorem, proximis post pacem Religioni nostræ, ab optimis Impp. Carolo & Ferdinando datam, & in comitijs anni 1555. quo ipse ad cancellarij dignitatem euectus erat, confirmatam, cepit, quàm ex tristissimis doctentium dissidijs & certaminibus, de præcipuis doctrinæ Christianæ articulis, post V Vormaciense colloquium infeliciter abruptum, horribiliter exacerbatis

& 116

et auctis. Quæ cum tolli legitimis rationibus, et quietem optatam Ecclesiis restitui ardentè desideraret, ipse aliquoties nomine Palatini VVolsgangi et Christophori Ducis VVirtenbergensis, legatus ad electorem Saxonie profectus est, et controuersias legitime cognosci et dirimi, flagitauit. Verùm quibus technis et fraudibus optimi et vero ac ardenti zelo conseruanda sinceræ doctrinæ ardens Electoris Augusti pectus tum aliò tractatum sit, multi norunt.

Memini quanto cum dolore, in conuentu Electorum et Principum, Naoburgi ad Salam, mecum deplorarit: cum principibus, proœmio confessionis Augustanæ denuò subscriptæ, veram sententiam de præsentia Christi in coena sacra breuiter et diserte recitari, omnibus placuisset: neglectis sui principis et aliorum admonitionibus, de retinenda simplici illa et minimum ambiguitatis habente Lutheri forma ex verbis CHRISTI et Pauli sumpta, et in synodo Smalcaldensi subscripta: Pseudolos quosdam, qui opinionibus et se-

Etis perpetua voce & zelo Lutheri damnatis
aditum in nostras ecclesias patefacere, quod
exitus postea ostendit, omnibus ingenij viri-
bus moliebantur: aliam formulam seu cothur-
num utriusque pedi aptum, verbis, quæ multò
speciosiora rudibus viderentur, ac, ut seruulus
in comœdia inquit: vera dicendo, utranque
partem fallerent, substituere videret. Ac
quereretur, se ante triennium, in Francofor-
diensibus Electorum comitijs anni 1558. cum
Recessum Electorum & Principum Augusta-
næ Confessioni adiunctorum de causa religio-
nis scriberet: similibus verborum splendido-
rum præstigijs in illo articulo deceptum fuisse.

Vidi Augustæ postea, in primis Maxi-
miliani comitijs, quanta sollicitudine, dili-
gentia & cura, nomine Palatini VVolfgangi
& Christophori Ducis VVirtebergensis vrse-
rit, ut in Lutheri confessione Principes con-
iuncti & constantes manerent. Sed ab illis
ipsis bonis viris impediatur, quorum ὕψος,
δοξὴ συνομίᾳ καὶ δόλιχα βδελύματᾳ, ut ille in
Tragœdia nominat, post paucos annos palàm
ingenti cum ecclesiarum nostrarum damno
& hostium ludibrio eruperunt.

Sed

Sed insuavi hac contrectatione vulnerum nostrorum, quibus mederi pietate & prudentia sua Sitzingerus cupiebat, relicta: de interiore ipsius vita & domestica consuetudine, honestissimorum exemplorum, pietatis, philostorgias, humanitatis, beneficentiae &c. plena quaedam adiungam.

Quotidie labores diurnos à precatione & lectione Bibliorum, etiam in itineribus exorsus est, nec ullis negotijs horam precibus & lectioni sacrae destinatae abripi passus est, ac ut eundem morem liberi etiam seruarent. testamento suo sanxit. Nec ad conciones tantum & precationes publicas, cum uniuersa familia, verum ad matutinas etiam illas & vespertinas psalmodias, cum domi erat, accedere solitus est, ut inuocationem in suo pectore ardentiolem accenderet, & exemplo suo ad eadem pietatis officia ciues suos inuitaret. Erat in vita omni amans ordinis, temperans, castus, sobrius, comis & officiosus. In familiaribus colloquijs singulari suauitate ac sale condido sermones condiebat. delectabatur historijs recitandis & audiendis. Calumnias verò & maledicta scurrilia praesertim

sertim de absentibus planè detestabatur. Ho-
minibus modestis, verè egentibus, sine sordi-
bus beneficentiam suam declarabat. Fra-
trem Samuelem, natu se iuniorem, paterna
benevolentia & fide prouexit & ornauit. sed
hunc vix ætatis virilis annos ingressum, Do-
ctorem Iuris, Spiræ amisit. Domesticos verò
omnes, vero & suauis amore & philostorgia
complectebatur. Deniq; tota domestica con-
suetudo Ulrici Sitzingeri, coniugis, filiorum et
filiarum, erat Ecclesia Dei, & pulchra scho-
la pietatis, doctrine & omnium virtutum.

Vxorem habuit matronam honestissi-
mam, Annam, natam ex sorore coniugis
Philippi Melanthonis, & clarissimo ac opti-
mo viro, & verè pio Iurisconsulto, D. Lu-
theri amico coniunctissimo, Doctore Sebaldò
Munsterer, consiliario electoris Saxonie
IOANNIS FRIDERICI & professore Acade-
mie VVittebergensis. cuius Laudatio Fune-
bris, doctrine, virtutis & pietatis illius me-
moriam posteritati consecrans, inter ceteras
Philippi orationes, in omnium eruditorum
manibus versatur. Reliquerat hic præstans
vir, immatura morte ex his terris sublatus,
liberos

liberos impuberes, Sebaldum, Leonardum & Annam, quos ex sorore coniugis natos Philippus in domo sua educavit. ex quibus hoc tempore Sebaldus, inclytæ Noribergensium Reipublicæ civis & patritius, dignitate, virtute, autoritate eminens, solus superstes est. Nam Leonardus, excellenti ingenio & in mathematicis præcipuè disciplinis & arte medica iam præclarè eruditus, in Italia iuuenis decessit. Filiam Annam, Sitzingerus vidit, V Vittebergæ in Philippi familia vivens anno 1548. uxorem duxit, & sociam vitæ, inuocationis, ac omnium officiorum conjugium fidissimam & suauissimam, verè ταμίειον ἀρετῆς ἡμνοῦμαι ἄλοχον habuit usq; ad annum 1567. quo, undecimi partus laboribus superata, die 9. Maij finem in his terris viuendi fecit: relictis marito, in legatione tum Ratisbonæ absenti, liberis superstibus, vnico filio Vlrico, vt nominis & patrimonij, ita virtutis & gloriæ paternæ herede, et duabus filiabus, quarum alteram, quadriennio post pater, ex visitatione Iudicij Cameræ, cui ab Imp. Maximiliano legatus præfuerat, domum reuersus, Guilelmo Rumelio à Loner-

Stat, patritio Noribergensi in matrimonium collocavit: altera patri senescenti, laboribus, curis & doloribus languefacto & aegro, consuetudine & suauitate sua, & sermonibus ac officijs dulcissimis, molestias lenijt, & à patris aegroti latere nec interdiu nec noctu se auelli passa est. Circumtuleraat Sitzingerus semina morbi lethiferi aliquot annis, quæ postremo officio, quod Illustriss. principi suo Philippo Ludouico, Palatini VVolfgangi filio & in Ducatu Neoburgico successori, nuptias cum Illustrissimi Ducis Cleuenssis & Iuliacensis filia celebranti, magna laborum, vigiliarum, contentionis dicendi, & aliorum munerum sibi mandatorum assiduitate præstitit, vehementer auclta & amplificata sunt, ita vt paucis postquam aeger domum redierat diebus, Ascite extinctus sit postridie Calendas Nouembris anno 1574. cum pridie adhuc in coena, sermones cum amicis mediocri hilaritate & salibus conditos de varijs rebus habuisset: & quatuor ante mortem horis, Psalmum 30. Exaltabo te Domine: notatis, vt solebat, rubrica, insignioribus locis & consolationibus, pia meditatione repetisset.

Domini-

Domicilium vitæ ac fortunarum suarum
ante quatuordecim annos, Solisbachia in No-
rico collocarat, cuius oppidi & viciniae præ-
fecturam ipsi princeps commiserat. Ibi igi-
tur ex hac mortali vita euocatus, & ad con-
iugis defunctæ latus, in sacello, quod coniun-
ctum cæmeterio est, depositus, letam cum o-
mnibus sanctis resurrectionem expectat.

Epitaphium ipse sibi viuens carmine lati-
no & Germanicis rhythmis fecerat, quod
cum familiæ suæ & coniugis insignibus, mo-
numento adfixum est.

Filio Dei, Domino nostro IESU Chri-
sto, sedenti ad dexteram æterni patris, &
danti dona hominibus, salutare Doctores &
gubernatores, reuerenter & toto corde gra-
tias ago, quòd Reipub. nostri temporis, ac in-
primis regionibus & populis Illustriss. prin-
cipi Palatino V Volfgango subiectis, hunc sa-
pientem, pium & salutarem Cancellarium
largitus est. ac ipsi quidem, cum fruatur cœ-
lestis ecclesiæ consuetudine gratulemur tam
placidam migrationem: nostra verò causa do-
leamus, Rempublicam tanto præsidio & or-
namento orbatam esse. & memoriam virtu-

rum ac benemeritorum ipsius grati conserue-
mus & celebremus, ac ex historia vitæ illius
exempla virtutum & studiorum sumamus.
Etsi enim Heroica excellentis ingenij & vir-
tutum præstantia, singulare Dei donum est,
quod κακοζηλία accersi nequit: tamen dili-
gentiam & fidem in omni officio, ordinem in
studijs, integritatem in moribus, constantiam
in rectis sententijs, moderationem in perse-
vendis iniurijs, timorem & inuocationem
Dei, et reliqua pietatis exercicia singuli Deo
iuuante imitari & possunt & debent. Inpri-
mis verò filius, quem vt nominis & patrimo-
nij, ita etiam virtutis, doctrinæ ac pietatis
paternæ heredem esse decet. Quem Deo curæ
fore, iuxta dulcissimam promissionem Psal-
mi, græco versu expressam: Ἐυσεβέων ποιήσεσθε
τὰ λώια: εὐσεβέων δ' ἰ: planè confido.
Ac filium Dei oro, vt ecclesiæ ac Rebus publi-
cis patriæ, deinceps etiam, gubernatores consi-
liorum, timentes Deum, iustos, sapientes &
salutares, & Ulrico Sitzingero nostro si-
miles, benignè tribuat: & nos omnes
doceat, gubernet & seruet.

D I X I

E P I T A P H I V M

monumento

D. VLRICI SITZIN.

GERI adfixum, quod ipse sibi
ante obitum composuit.

Vixi, & quem dederas cursum tu Christe, pere
In te confidens speq; fideq; mea. (g)

Nunc moriens animam ditino munere tutam,

Non ullis meritis, hanc tibi reddo pater.

Protege saluifico me sanguine magne redemptor,

Inter & electos da mihi quaeso locum.

Vt tua promisit nobis clementia certo,

Quae populum nescit fallere Christe tuum.

Quae post me superest prolem cum coniuge serua,


Vt celebrent laudis numina sancta tuae.

Hos tu summe Deus proprijs defende sub alie,

Inter & haec mundi saeva pericla tege:

Vt mea posteritas, & qui nascentur ab illa,

Semper sint cætus viuida membra tui.



Idem

*Idem Germanicè ab ipso
compositum.*


Ich hab gelebt Herr Jesu Christ/
Der du ein Fürst des lebens bist/
So lang du mir hast hie gegeben/
Mein lauff vnd zeit in disem leben.
Sieweil ich nun dasselb verlaß/
Vnd fahr zu dir die Himels straß/
So nimb mich auff in deine handt/
Dein wort ist meiner Seelen pfandt.
Zu deiner außewelten schar/
Nimb Leib vnd leben gantz vnd gar.
Wie du hast zugesaget mir/
In deinem wortt/ drauff traw ich dir.
Mein trewes Weib vnd meine Kind/
Die durch dein gnad noch vbrig sind/
Bewar mir Herr du trewer Gott/
Für vnglück/ schmach/ für schand vnd spott.
Mit deinen flügeln deck sie zu/
Damit sie haben rast vnd ru/
In diser hochbeschwerten zeit/
Dein gnad sey in allzeit bereit.
Auch denen so von in geborn/
Damit derselben feins verlohren/
Sondern dich preiß zu aller zeit/
Von nun an bis in ewigkeit.

A M E N.

EPIC

E P I T A P H I U M
D. SAMVELIS SITZINGERI,
Spiræ, anno 1556. ex hac vita euocati,
scriptum à fratre illius D. Vlrico
Sitzingero & in templo cathe-
drali ad D. Iohannem mo-
numento adfixum.

Iusticiæ cultor, veræ & pietatis amator,
Sitzinger generis lausq; decusq; sui,
Hoc mortale suum posuit sub marmore corpus,
Atq; animam summo reddidit ille DEO.
Ante diem periit, feбри correptus acuta,
Interijt corpus, viuit at ipse tamen.
Viuit & æterni cætus consortia cœli,
Et saluatoris regna beata colit.
Nam moriens Christo se commendauit. in ipso
Ingens & pietas spesq; fidesq; fuit.
In te confido dixit mitissime Christe,
Tu venias anime portus & aura mea.
Morte tua mortem vicisti, & sanguine sancto,
Placasti iratum Christe benigne patrem.
Accipito hanc animam, meq; his exoluito curis,
Hac qua perpetuo mole grauatür homo.
Dixit, & in tenues discessit Spiritus auras,
Vt leuis à vento flammula tacta cadit.
Orabis Christum tu qui legis ista Viator,
Vt tibi det simili speq; fideq; mori.



D. O. M. S.

VDALRICVS SITZINGER ab Hohenstein, I. V. D. Sacratiss: Cesareæ Maiest: tum Palatinorum, aliorumq; Illustriss: Principum Imperij à Consilijs. Genere & nobilitate clarus: Virtute, prudentia, eloquentia clarior: Pietate erga Deum, integritate, suauitate morum erga omnes, inprimis verò beneficentia erga Amicos & Pauperes clarissimus: ex hac lachrumarum valle, in beatiss. patriam, piè & religiosè migravit, AN. Christi M. D. LXVIII. D. I. Nouemb. cum vixiss. A. XLIX. M. VI. D. XX. Sepultus est extra moenia Sultzbachiana in sacello coniuncto publico coemiterio, unà cum uxore prima Anna, ex familia Munstererorum, Matrona pietate, castitate & omni genere virtutum ornatiss. *Que* AN. M. D. LXVII. D. IX. Maij in partu placidè extincta est, cum vixiss. AN. XLI. D. XV.

Relicta altera coniunx vidua & liberi superstites
mœstiss: Marito & Parentibus opt.
H. M. P. F. C.

Reliquerunt posteris bonum & honestum nomen,
& perpetuum sui desiderium.

HINC MVLTQ CLARIORES.

MEMORIAE VIRI
RI OPT.


VLRICVS moriens hac SITZIN
GERVS in urna


Conditur: ille Dei donum, lumenq; suorum,
Excellensq; decus patriæ & tutela bonorum.
Munere iustitiæ, fecundæ munere linguæ,
Doctrina, ingenio, virtute, Deiq; timore,
Splenduit illustris qui Cancellarius aulæ
Inclyte dux VVolgange tuæ, qui gloria Rheni,
Qui princeps patrius Boiorum, clarus auita
Et patria virtute, tua ipsiusq; beatos
Ætheris heroës inter nunc iunctus Achate
Viuis ouasq; tuo; cuius sapientia, cuius
Certa fides spectata tibi, spectataq; virtus:

Quin eadem spectata tuo clarissima nato
Heroï patriæ, patria virtute PHILIPPO
Inclyta magnanimus subijt qui munia patris,
Laude domum vera iam complens Solis utranq;.

O felix, quicumq; DEO, patriæq; salutis
Seruit, & hanc vitam sic viuuit, ut aurea vitæ
Munera perpetuæ capiat fideiq; coronam,
Ætheris heroës inter proceresq; beatos.

Iohannes Frederus.






Pd 263

3
ULB Halle
004 099 613


Sb

Me





B.I.G.

Farbkarte #13

19

ORATIO
DE
VL R I C O
SITZINGERO,
I. V. D. Cancellario inelyti
principis Wolfgangi, Pa-
latini Rheni, Ducis
Bauariae, &c.

scripta
à

DAVIDE CHYTRÆO.



ROSTOCHII
Stephanus Myliander excudebat.
Anno 1577.

19

